

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2019-2020

À faire en 4h [autant que possible]

Version (dé ?)confinée n°8 : la peau de l'ours

Démocharès, personnage très riche, offre au peuple de somptueux combats de gladiateurs et d'ours (ursae). Malheureusement, les pauvres bêtes enfermées au soleil sans distanciation sociale attrapent un virus et tombent comme des mouches. Les carcasses d'ours abandonnées en pleine rue attirent la populace, mais aussi les brigands, à qui l'occasion donne une idée... Longueur LC : intégralité. Longueur LM : 2^e et 3^e paragraphes.

[...] [Diutina captiuitate fatigatae simul et aestiua flagrantia maceratae, pigra etiam sessione languidae, repentina correptae pestilentia paene ad nullum rediuere numerum. Passim per plateas plurimas cerneret iacere semiuiuorum corporum ferina naufragia. Tunc uulgus ignobile, quos inculta pauperies sine dilectu ciborum tenuato uentri cogit sordentia supplementa et dapes gratuitas conquirere, passim iacentes epulas accurrunt.]

Tunc e re nata subtile consilium ego et [...] Eubulus tale comminiscimur. Vnam, quae ceteris sarcina corporis praeualebat, quasi cibo parandam portamus ad nostrum receptaculum, eiusque probe nudatum carnibus corium, seruatis sollerter totis unguibus, ipso etiam bestiae capite adusque confinium ceruicis solido relicto, tergus omne rasura studiosa tenuamus et minuto cinere perspersum soli siccandum tradimus. Ac dum caelestis uaporis flammis examurgatur, nos interdum pulpis eius ualenter saginantes sic instanti militiae disponimus sacramentum, ut unus e numero nostro, non qui corporis adeo sed animi robore ceteris antistaret, atque si in primis uoluntarius, pelle illa contactus ursae subiret effigiem domumque Democharis inlatus per opportuna noctis silentia nobis ianuae faciles praestaret aditus.

Nec paucos fortissimi collegii sollers species ad munus obeundum adreuerat. Quorum prae ceteris Thrasyleon factionis optione delectus ancipitis machinae subiuit aleam, iamque habili corio et mollitie tractabili uultu sereno sese recondit. Tunc tenui sarcimine summas oras eius adaequamus et iuncturae rimam, licet gracilem, setae circumfluentis densitate saepimus. Ad ipsum confinium gulae, qua ceruix bestiae fuerat exsecta, Thrasyleonis caput subire cogimus, paruisque respiratui et obtutui circa nares et oculos datis foraminibus fortissimum socium nostrum prorsus bestiam factum inmittimus caeuae modico praestinatae pretio, quam constanti uigore festinus inrepsit ipse.

Apulée